

biles facti sunt in studis suis, Ps. XIII. sic insani hæretici, ne Ecclesiæ præceptis subicere se cogantur, dicunt papam esse antichristum. Sic libidine æstuant et insanientes duo illi senes: *Everterunt sensum suum, et declinaverunt oculos suos ut non viderent cælum*, Daniel XIII. Vicissim sapientes sunt, qui Deum præ oculis semper habent, et præsentem cogitant, juxta id Ecclesiast. c. II. *Oculi sapientis in capite ejus, stultus in tenebris ambulat*. Caput nostrum Deus est: illuc convertendi sunt oculi; alioquin velut stulti in tenebris ambulamus, si a Deo præsentem oculos deflectamus. Et quid talibus contingit aliud, nisi quod sordido illi, qui in hodierno evangelio nuptiis se miscuit, adeoque velut filius tenebrarum tenebrasque amans, missus est in tenebras exteriores; quod a nobis avertat Deus.

CONCIO V.

DOCUMENTA EX PARABOLA.

I. Dei bonitas et justitia longe alia est quam humana. — II. Ira Dei cum misericordia conjuncta. — III. Mortis memoria coeret homines. — IV. Filii sibi ipsi nuptias non faciant. — V. Pauperes fere sunt, qui ad cælestes nuptias veniunt. — VI. Deus, hic longanimis, ibi severus.

THEMA.

Intravit autem rex, ut videret discumbentes.
Matth. XXII.

Solent ad spectandas nuptias homines confluere, spectare et observare, quæ ibi sint personæ, quomodo vestitæ, quo ordine incedant, quid agant, quid loquantur, nullo plerumque fructu, sed majore damno, vel saltem inutili curiositate. Proponuntur nobis in hod. evangelio nuptiæ regales, Filii Dei cum Ecclesia, nuptiæ plane admirandæ, quales nunquam visæ; ad quas contemplandas prodiit ipse rex cæli et terræ, sponsi Filii Pater: *Ut videret discumbentes*. Eamus igitur et nos ad spectaculum istud, non sicut rex intravit, ut judicaret discumbentes: sed ut spectatores, non curiosi sed industrii: ut videamus et audiamus quæ ibi geruntur, ad colligendum fructum: quomodo argumentosæ apes circumvolant de floribus in flores, ut, melle conquisito, favum sibi conficiant.

I. Videmus Dei bonitatem et justitiam longe transcendere bonitatem et justitiam hominum, juxta id Isa. LV. *Sicut exaltantur cæli a terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitationes meæ a cogitationibus vestris*. Aspiciat bonitatem et

benignitatem Dei. Vocat ad nuptias Filii sui omnis generis homines, divites et pauperes, et vocat sæpius; rogat insuper ut veniant: denique, de trivio abripit obvios et ignotos quosque, bonos et malos. Quis rex inter homines hoc unquam faceret? Sed aspiciat et justitiam. Cum inter invitatos unus deprehensus esset absque veste nuptiali, ligatis manibus et pedibus, ejectus est in tenebras exteriores. Quis unquam rex mortalis ita desæviret in hominem, qui ad nuptias suas sine ornatu accessisset? Quantum ergo Dei cogitationes et opera superant humanas cogitationes et operationes? Bene David, Ps. C. ait: *Misericordiam et judicium cantabo tibi, Domine*, et Psal. XVIII. appellat Dei Filium *sponsum* simul et *gigantem*: *Ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam*. Quid sponso gratiosius? Quid gigante horribilius? Utrumque Deo competit; quod explicans Sanctus Augustinus, sermon. XII. de temp. *Ad hoc*, ait, *sponsus processit de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam amabilis et terribilis, severus et serenus; pulcher bonis, asper malis*. Eundem, Psalmo XLIV. depingit David primo, velut: *Sponsum speciosum forma præ filiis hominum*, addens: *Diffusa est gratia in labiis tuis*; paulo vero post accingit eum gladio et armat sagittis acutis: *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent, etc.* Interim tamen homines plerique Deum tam bonum et tam justum minus curant æstimantque, quam hominem judicem aut regem quemcumque; spernunt enim Dei vocationes, Filii ejus cælestes nuptias negligunt, et vilissimis suis negotiationibus posthabent, denique, servos ejus vulnerant et occidunt. Quid mirum si etiam Dei judicia et supplicia sæviora sint in illos? Solemus subinde dicere puero petulanti: *Quare es tam improbus? Nescis quam austerum habeas patrem?* Idem nobis de Deo in hod. evangelio dicitur. Audimus quam tremendo et horrifico fragore detonuere in hominem non vestitum nuptialibus; et nihilominus quam multi sedent in ecclesia inter sanctos et innocentes, edunt, bibunt cum illis, fruuntur Dei verbo et sacramentis; interim tamen hærent in suis sordibus et in illis obsordescunt, nec timent Deum tam severum.

II. Videmus iram Dei cum misericordia conjunctam, juxta id Tob. II. *Cum iratus fueris, misericordiam facies*. Etenim cum invitati sprevisent regis convivium, et servos indigne accepissent, rex, ubi id inauditi: *Iratus, missis exercitibus, perdidit homicidas illos*. Ergo prius collegit misitque exercitum ut subditi adventantis rumo-

rem audire, sibique consulere, ac legationem ad regem expedire possent, petereque ea quæ pacis sunt; tametsi id non fecerint. Exercitus Dei sunt variæ, quas in vita reprobis immittit, plagæ, ut per eas emendentur; bellum, pestis, fames, grandio, pruina, siccitas, inundationes, locustarum agmina, etc. His admonet rebelles, ut fugiant a facie arcus et supplicio gehennæ. Qui funda jaculatur, prius lapidem gyrat, et gyRANDO terret admonetque hostem, ut ab ictu sibi caveat: non ita qui selopo in eum jaculatur; prius enim sternitur hostem, quam audiatur strepitus. Judices humani clam invadunt reos, et citius abripiunt ad pœnas, quam observentur; quia supplicium ab eis sumere volunt, non pœnitentiam exigere. Deus primo minatur et invadit levioere plaga malos, tamquam fundibularius, et David, qui funda instructus exiit ad prælium contra Goliathum, I. Reg. XVII. (typus Christi Domini pugnantis cum hujus mundi principe,) quia salvare eos desiderat, juxta id Ezech. XVIII. *Nolo mortem morientis*.

III. Videmus mortis speculum et memoriam, optimum esse medium ad coercendos a peccatis et pertrahendos ad frugem homines. Etenim postquam rex iratus exemplum vindictæ statuit in reprobos, qui servos ejus contumeliis affectos occiderant; postquam eos perdidit, et civitatem eorum succendit, alii, qui postea vocati sunt, sine omni tergiversatione venerunt ad nuptias, boni et mali; quia procul dubio inaudierunt quid actum esset cum iis, qui nuptias spreverunt. Possumus hoc etiam discere ex mandato invitantis regis: *Ite ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias*. Exitus viarum proprie illarum termini et fines sunt. Homines dum peccant, ad initium solummodo viarum et actionum suarum attendunt, non ad exitum et finem, qui est mors et supplicium, ad quæ pergunt. Initium dulce, sed finis amarus est. Non potuit Phæro adduci plagis ut dimitteret populum Hebræorum: at ubi vidit necem primogenitorum, adeoque domos undique impletas cadaveribus: *Surrexit nocte, vocatisque Moyse et Aaron nocte, ait: Surgite et egredimini a populo meo*, Exod. XII. Ubi P. Cornelius: « Verisimile est, inquit, ipsum etiam Phæraonem tanta strage percussum, timentemque peiora surrexisse, ut Moysen audiret, quem suaviter quiescentem domi suæ inveniens, vocando excitavit, dixeritque: *Surgite, egredimini*. » Terruit etiam mortis nuntium obstinatum illum Saulem, qui cum ad initium viæ solum et belli sui, non ad finem attendens, exploraret a Samuel jam defuncto successum belli, ad finem directus est, audivitque ab eo: *Cras tu*

et filii tui mecum eritis. Quo audito consternatus: *Cecidit porrectus in terram*, I. Reg. XXVIII. Mors eum prostravit, quem prius nulla Samuelis monita poterant prosternere. Mors ergo prædicator omnium efficacissimus est; quod etiam fatetur S. Chrysostomus, hom. XLIII. in Acta apost. ubi c. XX. legimus sub concione Pauli Eutychem adolescentem somno obrutum cecidisse de cœnaculo, et mortuum esse, eoque casu Paulum concionem solvisse. Ecce vero solvit, cum plura adhuc dicenda haberet? Quia, ut ait Chrysostomus: *Pro doctore casus fuit*, q. d. mors, velut optimus concionator, supplevit id, quod dicturus erat Paulus. Sic etiam reor rebellium perditionem et civitatis exustionem postremis invitatis fuisse pro doctore, ut aliorum supplicio eruditi, ad nuptias convolarent.

IV. Audimus non filium regis sibi ipsi, sed patrem filio nuptias fecisse. Quid autem hoc, nisi documentum filiis, ut ne pro libito et affectu suo, inconsultis parentibus, facile sibi sponas, aut filiarum sponas quærant? Si enim regis filius non nisi ex patris consilio et molimine nuptias celebravit: si ipse Dei Filius non nisi ex voluntate et beneplacito Patris accepit sibi sponsam, naturam humanam et Ecclesiam; nonne temeritatis et irreverentiæ arguuntur filii et filiarum, qui passim, insciis ac fortasse resistantibus ac lamentantibus parentibus, conjugia sibi, non prout ratio, sed cæca libido dictat, moliantur? Tametsi vero parentes liberos suos ad has vel illas nuptias (quæ cum miseram et sollicitam servitutem contineant, liberas esse vult Ecclesia) compellere non debeant, possunt tamen iis melius hæc in re consulere, quam sibi ipsis: habent etiam jus aliquod et patriam potestatem, ut in re tam gravi filios suos dirigant, obliganturque filii parentes rationabiliter invitos non offendere. Inculcavit hoc Raphael Tobiarum, sicut ex Græca versione citat S. Prosper, in lib. de vocatione gentium: *Memor esto*, inquit, *mandatorum patris tui, quoniam præcepit tibi accipere debere uxorem de genere patris tui*, non ex gentilibus, inter quos tunc degebat. Paruitque angelo Tobias; quem admodum et Isaac patri suo Abraham, accipiendo in uxorem eam, quam ex Dei providentia pater ipsi designasset, Genes. XXIV. « Ita enim (inquit ibi Rupertus) juvenutis petulantiam supergressus est, ut illam expectaret conjugem, quam Deus daret non quam concupiscentibus oculis ipse cum dote magna rapuisset. » Sed et parentes hinc docentur providere suis filiis, præsertim filiabus, nuptias in tempore, et quidem honestas ac tales, quæ omni impuritate careant; quales erant convivæ hodierni regis,

in quibus vel unicus impurus, vestitu nuptiali carens, minime toleratus, sed eiectus fuit.

V. Audimus fere eos solum ad nuptias venisse, qui in viis publicis passim obvii erant, quales certe sunt pauperes: divites vero qui villas possidebant, et negotiationibus vacabant, eas respuisse, vel saltem per ignaviam neglexisse. Consonat hoc cum eo, quod S. Jacobus, c. II. ait: *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se?* Vocavit sane in hodierno evangelio, et quidem primo loco, divites; quia pluribus bonis vallavit, pluribus beneficiis prævenit, ut facile ad nuptias Filii sui, si vellent, accedere possent. Contulit eis indolem bonam, institutionem a teneris bonam, opes copiosas, ne de victu solliciti a divino cultu retraherentur, et ut iis cælum mercari sibi possent, et similia: quibus sane carent pauperes. Verum culpa ipsorum, quæ adjumenta salutis sunt, impedimenta eis fiunt, et contingit quod equo vel tauro pingui, qui altorem suum calcibus vel unguibus impellunt, juxta id Deut. XXIII. *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit: incrassatus, impinguitus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum;* cum e contra macilentii hoves et equi facile patiantur sese attraheri, et quocumque velis, duci. Contingit illis quod arboribus, quæ frugibus cum onustæ sunt, jamjam se inclinant; interim hoc ipso direptioni se exponunt, et in prædam aliis cedunt. Contingit quod et lanæ quo plenior fit, eo longius recedit a fonte luminum, sole. Habent igitur qui multa possident et negotia, rationem cur sibi attendant, ne in laqueos incidant, in quorum medio incedunt.

VI. Audimus tremementem Christi sententiam: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quod ex eo colligimus, quia ex iis, qui primo loco invitati erant, nullus omnino ad nuptias venit: similiter ex iis, qui secunda vice vocati: ex illis vero, qui in tertia missione venerunt, unus adhuc repertus fuit, convivio indignus. Itaque secundum hæc, vix tertia pars hominum, qui ad fidem vocati sunt, salvanda videtur. Neque tamen hujus rei causa Deo adscribenda, sed hominibus refractariis, qui *nolebant venire.* Poterant sane, si voluissent, vim aliquam adhibere, et terrena cælestibus postponere: quare si petierunt, sic voluerunt. Per suam libertatem et peccati voluptatem lapsus est Adam patris, et cum eo nos, de monte gratiæ et justitiæ originalis in vallem miseriæ et concupiscentiæ. Eo non reditur nisi per ascensum: non ascenditur, nisi vi adhibita, cum sudore et labore, per cupiditatum refractionem, per crucem et mortificationem: contraria enim contrariis curantur. Hinc ergo non

mirandum, si pauci sint electi: quia pauci laborare, pauci volunt luctari. Cedit interim ea paucitas ad majorem Dei gloriam, necnon electorum, quia Dei regnum, adeoque Deum ipsum tanti æstimarunt, ut pro eo consequendo nullos labores respuerent: *Eos enim expectat gloria,* ait S. Isidorus, lib. II. de summo bono, cap. XXXIX. *quibus fuerunt laboriosa certamina.* Quæ ipsa vincuntium raritas in Dei gloriam redundat. Non est honor candidatis, si academia quam plurimos ad honorum gradus evehat, magistros et doctores creet, præmiis et muneribus mediocri solum litteratura præditos afficiat, sed si paucos et insigniter eruditos; alioquin horum gloriæ illi officerent. Cernimus ubique nobiliores creaturas esse rariores, et hinc chariores. Raræ sunt aurifodinæ, raræ gemmæ, rari uniones, rari balsami, rari phasides et porphyrones, raræ unicornes, et quæcumque in pretio habentur. Virtus res pretiosa est, quæ a paucis emitur: vitium res vilis est, quæ passim diripitur. Sibi imputent, qui ad vitium potius quam ad virtutem adjece- runt animum, peccati servitutem prætulere cæli regno. Nihil non regnandi causa agendum et ferendum est. Carolus IX. Francorum rex, dum in regem ungeretur, anxia erat mater, ne per ætatem (nam vix annum decimum excesserat) non esset sufficiens cæremoniis omnibus, quæ tam solemnii actu adhibentur, sufferendis. At: *Feram,* inquit ille, *non recusabo hunc laborem, quoties se regna offerent,* annal. Franc. in apophth. christ. Laur. Beierl. Potuit hic puerulus laborem hunc pro terreno regno capessendo sine molestia sustinere, et non possit homo maturus pati aliquid amplius pro cælesti regno? O nos delicatos! O molles et infantes!

Audimus denique sponsi patrem initio quidem appellari *hominem regem,* dum ad nuptias invitaret; postea vero *regem* præcise, cum reprobum puniret, uti advertit S. Hieronymus, in hodierno evangelio: « Quando invitabat ad nuptias, inquit, et agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est: nunc autem quando ad ultionem venit, homo siletur, et rex tantum dicitur. » Certe pater sponsi *hominem regem* se ostendit, quando a primis invitatis ignominiose rejectus, sese continuit, ne eos plecteret; rursus quando alii, secundo loco vocati nuptias neglexerunt, tacuit et dissimulavit: at quando intellexit quosdam manus suis intulisse violentas, tum exsurrexit, et perdidit homicidas, civitatemque eorum succendit, adeoque sese regem, non hominem ostendit. Sic plerumque agit Dominus cum hominibus sibi resistentibus: *Mandat, remandat; expectat, reexpectat; modicum ibi, modi-*

cum ibi. Verum ubi nihil se proficere videt, tum induit faciem aliam, et non amplius hominem, seu *hominem*, se ostendit, sed regem, sed ultorem: *in loque, a enim abbi,* Isaias, c. XXVIII. *et lingua aëtera loquetur ad populum istum. Quod*

potissimum faciet in die judicii, ubi se non tam hominem, quam regem et judicem mundo declarabit. Tacet hic et silet, dum a reprobis offenditur; ibi: *Ut paturiens loquetur,* Isa. XLII.